



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

3. De virtutibus virorum Apostolicorum. Thema. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare, adversus insidias Diaboli. Ad Ephes. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

Secularis, tanquam in ima mentis calce repleti divino spiritu merearis: ex  
 substat: amor vero aeterna vita & spi- quo, in omnes actiones & sermones  
 ritualis studium sapientia, vel in summa nostros prorsus singularis efficacia &  
 cordis tui constitutus arce precellat; ut energia dimanabit.

## EXHORTATIO III. IN REGULAM XVI.

Quanam sint virtutes solidæ viris Apostolicis necessariae.

T H E M A.

Inuite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insi-  
 dias diaboli. Ad Ephel. 6. 11.

V E L

Omnes in virtutum solidarum ac perfectarum studium incum-  
 bant. Reg. 16.



Viri Apostolici, omnino com-  
 pertum habe-  
 ant, se Athletas,  
 pugiles & Chri-  
 sti militiz, tan-  
 quam Duces &  
 Antesignanos  
 adscriptos esse, qui cum vitis & dæ-  
 monibus in campum prodire ac dimi-  
 care debeant: ut disertè innuit Apo-  
 stolus ad Ephel. 6. 12. Quoniam non  
 est nobis colluctatio adversus carnem &  
 sanguinem: id est, ut vertit S. Hiero-  
 nymus & Theophylactus, adversus  
 homines carne & sanguine constan-  
 tes; sed adversus Principes, & Potesta-  
 tes, adversus mundi rectores tenebrarum  
 harum; id est, ex mente ejusdem Hie-  
 ronymi, adversus spiritus, seu dæmo-  
 nes, neque solum ex infimo ordine; sed  
 etiam ex ordine Principatum, Potestatum,  
 & Dominationum. Contra spi-  
 ritualia nequitia in cælestibus. Id est  
 contra spirituales nequitias, versutias  
 & malitias; seu nebulones nequissi-  
 mos in cælestibus: sive in aëris hisce  
 locis versantes.

T t 2 Cùm



Cum itaque Viris Apostolicis & animarum zelatoribus, contra nequissimos & versutissimos Cacodamones duellandum indies & luctandum sit; quis non videat, armaturam insigni ac solidam iis opus esse? Sanè hoc ipsum agnoscens Paulus hortatur enixe: *Induite vos armaturam Dei*, græcè est *παραστάς*, id est plenam & omnem armaturam, quam milites à capite ad talos se armant & communiunt: *Ut passis stare adversus insidias Diaboli*; ejusque dolosos assultus & stratagemata reprimere. Quam verò est armatura Dei, quam induere atque assumere suadet Apostolus? Primum armorum genus est 1. Lorica justitiæ. 2. Galea salutis. 3. Calcei. 4. Baltheus. 5. Scutum fidei. 6. Gladius spiritus. Quæ tanquam virtutum solidarum symbola, dictione præsentem explanabimus.

I.  
Lorica  
justitiæ.

I. Primum armorum genus viro Apostolico ante omnia necessarium, est *Lorica Justitiæ*; quæ pectus, femora, & totum hominis corpus armat & munit. Per lorica hanc Apostolus intelligit non justitiæ specialem, quæ cuique jus suum reddit; sed generalem, quæ est complexio omnium virtutum: hæc enim totum hominem obarmat, & ab omni parte communit. Unde Chrysostomus *Lorica*, inquit, *justitiæ*, est *catholica* & *virtute prædita vita*; seu opera justa ac sancta, quibus assidue cor & pectus obarmandum est, animarum zelatoribus, ut non tantum bello defensivo Diabolo resistant; sed & offensivo acres illi plagas infligant. Sed potissimum ro-

bur hujus lorica est invicta patientia, quam Spiritus Sanctus Apostolus, Apostolicisque viris olim altè imprimi-  
fit, & hodie dum imprimi: multum enim huic Apostolico labores, difficultates, ærumnæ, adversitates persecutiones, cruce; ita necessario nexa sunt; ut absque illis ei plene fieri satis, vix aut ne vix quidem valeat. Illis igitur ingrumentibus, lorica patientia induenda est, quæ obarmatur pectus, ut quis cum animi magnitudine ac tranquillitate alacriter omnia perferat, nec ulli malum pro malo retribuatur. Hæc lorica pro exemplo & salute nostra, munitus fuit, omnis justitiæ prototypum, Christus Dominus Rex noster, qui horrendos dolores, inmania tormenta & supplicia animo generosissimo pertulit: & *propter magnitudinem gaudii sustinuit crucem*. Heb. 12. Nec solum, ut agnus, coram tondeute se, obmutuit; verum etiam magno compassionis affectu, erga hostes suos eorum malitiam, permotus, pro illis Patrem cœlestem cum lacrymis rogavit.

Atque hæc est virtus solida, quam cum primis Christus Dominus affectu suos docuit: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me*. Luc. c. 9. & præclare illam hauriunt Apostoli, eorumque Discipuli, qui & vincula & carceres, & verbera, & vulnera, & gladios & cruce, omnisque generis tormenta tolerare fortiter, lorica patientia recti & muniti, omniaque levia arbitrabantur: *Non sunt condigna passiones ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Rom. 8. 11. Et



Et quam miti, pacatōque animo superare omnia, verbis his demonstrabant; *Maledicimus, & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus.* I. Corinth. 4. Huiusmodi lorica munus erat S. Franciscus Xaverius: qui in laboribus & arumnis, exclamabat: *Amplius Domine, amplius!* Huiusmodi quoque lorica cataphracti fuit, generosissimi Martyres nostri in Anglia; Campianus, Garnettus, Ogilboeus, Briantus, Odoenus & alii, quos nulli carceres, quantumvis fidei, & morte ipsa graviores, nulla pericula, nulla persecutiones, nulla furia, lanienæ nulla, aut furæ à procuranda Dei gloria & animarum salute abstrerre valuerunt.

Charissimi, *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Ephes. 6. Non degeneremus à præcellis cogitationibus filiorum Dei: pudor sit ad minima contraria, & adversitates exiguas gemere, queri, & impatientem animum ostendere: non est hæc solida virtus, sed infantilis; solida patientia nec carceres, nec furcas, nec mortes etiam ignominiosas reformidat. A parvis interim ordiamur, ut paulatim ad majora, difficilioraque allueamus & callum obducamus.

II. Secundum armorum genus, athleta Christiano necessarium est: *Galeam salutis.* Et *galeam salutis assumite*, ait Apost. Ephes. 6. Galea hæc est spes salutis, ut explicat ipse Paulus I. Thessal. 5. 8. *Galeam spem salutis.* Sicut enim galea principem corporis partem, ca-

put scilicet, tegit ac munit: ita spes salutis & gloriæ celestis ac immortalis, servat ac communit caput, id est, hominis cogitationes, fines & intentiones. Spes ergo tanquam galea caput munit, ac tria efficit: 1. Ut finis noster ultimus sit Deus, fruitio Dei, & beatitudo æterna; eoque omnia dicta, facta, cogitata referamus, & nihil aliud spectemus, aut in hac vita mortali quæramus. Deinde efficit, ut homo cogitans bona illa immensa, quæ in celesti gloria se consecuturum sperat, omnia terrena bona floccifaciat, contemnat ac despiciat. Inde ortum ducebat illa Apostolorum paupertas spiritus & nuditas; ut nec aurum, nec argentum, nec alias possessiones quæreret, nec optarent; sed omnia, tanquam stercorea arbitrantur, ut Christum & immensa illa celestia bona assequerentur: & licet nihil in mundo haberent, omnia tamen spe possiderent in cælo. 3. Roborat, animat, excitat, & propellit ad fortia & heroica: nam in Apostolis & Martyribus inde nascebatur, ut ardua quæque generosa mente aggredierentur, & animosè cum hoste confingerent, proponentes sibi speratâ illâ gloriâ, quæ victores manet, & æternum coronat.

Atque hæc est altera virtus solida, cui studendum est vobis: *Galeam salutis assumite*, id est spem firmam futurorum bonorum æternorum concipite: & hæc spe, velut anchorâ firmatâ ad illa bona infinita, Deumque immensum ac summum bonum, quod speratis, omnes cogitationes, locutiones,

T t 3 nes,



nes, actiones & intentiones vestras dirigite: præ illo maximo bono, omnes mundi quilibet despicite, & velut stercora pedibus conculcate: denique eâ spe animati, quævis ardua, pro Dei gloria & animarum salute generose aggredimini.

III.  
Calcei hu-  
milinatis.

III. Tertium armorum genus est, calceorum, quibus pedes Evangelizantium muniuntur. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis:* ait Apostolus L. c. Calcei primò symbolum sunt constantiæ, confidentiæ & animi intrepidi: qui enim nudipes est, pedetentim & timide incedit, ne pedem alicubi offendat; calceatus verò è contrario incedit audacter. Calceus quoque symbolum est libertatis: servi enim & captivi incedebant nudipedes. Est etiam symbolum Domini & possessionis. Ulterius signum quoque est lætitiæ; sicut pedum nuditas lætitudinis. Denique symbolum est humilitatis: ut explicat S. Ephrem tractatu de panoplia seu armatura spirituali: ubi ait: *calceamenta sunt humilitas.* Atque hæc omnes virtutes solidæ in animarum zelatore requisitæ sunt. Nam

1. Calceus. symbolum est evangelizantis, ejusque constantiæ, generositatis, & præparationis Evangelii: præparatio autem hæc, ut rectè notat Chrysostomus & Theophylactus, est alacris promptitudo & prompta alacritas animi. partim ad ambulandum viam Evangelii pacis, partim ad eam annuntiandam, quæ per hæreticorum, Infidelium, Barbarorum, demonum, & hostium omnium cuveos pergit &

penetret; atque ita prædicando, vitæque sanctam instituendo, fidem & Evangelium propagat ac promovet. Unde de hac præparatione & promptitudine dixit S. Joannes Baptista: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Eapropter Marci 6. 9. Apostolis & Prædicatoribus Evangelii dantur sandalia, quo scilicet, audenter & alacriter, munus sibi injunctum suscipiant, omnique timore humano expulso, illud exercent; sandalia ergo hæc & calcei signum sunt, tum libertatis, tum domini, tum lætitiæ, tum constantis animi, alacris & intrepidis, sunt enim calcei militis; tum etiam humilitatis.

2. Solida enim humilitas, omnique vanæ hominum æstimationis ac honorum contemptus, unicè in Viro Apostolicis requiritur quemadmodum enim Christus Dominus, Dux noster, licet esset ipsa innocentia, ipsa sanctitas, ipsa potentia, sapientia, bonitas & gloria Patris, omnia tamen hæc attributa, infamiâ, convitiis, blasphemis, cruce ac morte probrosâ, quodammodo obrui voluit, ut postmodum illustriora & gloriosiora apparent: ita pariter Apostoli, virique Apostolici, dum Evangelium annuntiant, animas lucrantur & ex orci faucibus eripiunt; mox adversarios fecerunt: homines malignos, ac demones ipsos, qui eis contradicant, oppugnent, contemnant, detrahant, calumniantur: veluti de se faceret Apostolus: *Opusium mihi apertum est magnum & adversarii multi.* 1. Corinth. 16. Hæc autem ut parvi pendamus, et



ad hæc non modò non indignemur, & ad vindictam inflammemur; sed vehementer gaudeamus & exultemus, atque in Evangelico labore perseveremus: quis non videt, quanta animi demissio sit necessaria? Ea propter subtilissimum humilitatis solidam gradum Redemptor noster discipulis suis adeò commendavit: *Beati, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate.* Matth. c. 5. An non similia patiendo, & amore Evangelii, contemnendo solida demissionis specimen dedere, Societatis nostræ pugiles, in Anglia, ubi, tanquam perduelles contra Reges, in furca suspensi & dissecti: In Germania, ubi ut seductores & corruptores ab hæreticis traducti: In China, ubi tanquam dissimulatores Idololatricæ, & vanorum errorum, difamati: In Gallia, Ditione Veneta, ac Japonia; ubi ob frivolas, falsæque causas expulsi fuere.

Horum exemplo sumus & nos calcetis pedes in præparatione Evangelii patri. L. c. Simus constantes, intrepidi, alacres, læti, ad currendum pro disseminatione Evangelii, quò obedientia destinavit: & si multa pati, contemptus, contumelias, irrisiones, detractiones tolerare necesse fuerit, non modo forti, patientique animo, sed etiam læto perferamus, hac enim ratione, nos solidam constantiam, humilitatemque nos possidere demonstrabimus.

IV. Corpore lorica armato, capite galeâ tecto, pedibusque calcatis, cin-

gulum militare induendum est, ut monet S. Paulus L. c. *State succincti lumbos vestros in veritate.* Id est baltheo militari vos cingite; ut exponit S. Chrysof. hom. 3. Baltheus hic est 1. Symbolum fidelitatis, quo admonentur milites Sacramenti militaris & fidelitatis, quam Duci suo jurarunt; unde quandomilites exauctorabantur, baltheum deponebant. 2. Baltheus, ut notat Pierius in Hierogly. est symbolum integritatis & castitatis, tam apud Hebræos, quàm apud Græcos & Latinos: *Sint lumbi vestri præcincti.* Matth. 3. Baltheus est symbolum, charitatis, ut docet D. Thomas: hinc sponsi suis sponsis olim donare solebant cingulum, ut per illud sponsæ admonerentur fidei, fidelitatis, puritatis cordis, & amoris conjugalis. *Baltheus est charitas:* ait S. Ephrem. loco supra citato. Et hæc quarta est virtus solida viris Apostolicis necessaria.

*Charitas Christi urget nos,* inquit Gentium Doctor: nisi hæc urgeat viros Apostolicos, omnia languebunt atque marcescent: ea de causâ hunc charitatis ignem Christus mittere venit; & re ipsâ misit festo Pentecostes, quo corda discipulorum igne Spiritûs sancti fuere succensa; ignisque mox foras erupit; exemplo Christi ipsi summet; in cujus pectore divino, quanta suscitavit hic ignis incendia? Tanta sanè ut nullis tormentorum, tribulationum, & humanæ ingratitude a quis potuerit extinguere: ipse enim non solum extrema, pro Dei gloria & hominum salute perpeti voluit; verum etiam, & ea ipsa quæ patiebatur, Deo Patri



Patri in ejus gloriam, qui cum ita patiebatur, & pro eorum, à quibus patiebatur, salute offerebat, & insuperabilis charitatis ardore, pro ipsis crucifixoribus orans, illata ab illis tormenta, in illorum utilitatem, ad Dei honorem ordinabat. Verè *Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. 7. Hujus illustrissimi exemplaris imitatione Apostoli rubicundo igneque charitatis Dei & proximi baltheo fœre succincti; ad omnes labores ac difficultates, ad cuncta ardua & pericula parati & expediti: ex zelo gloriæ Dei & salutis animarum, laborant, sudant, peregrinantur, discurrunt, clamant, prædicant, quantum possunt; & postquam egere, quidquid potuerunt; omnes vires reliquas cum sanguine & vita Deo & animabus impendere cupiunt; ad famem, sitim, frigus, æstum, cruces & mortes desiderio insatiabili properant, omnia tormenta lacessunt & provocant: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? certitium, neque mors, neque vitæ, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo? ESU Domino nostro.* Rom. 8. 38. Similia in vitis nostrorum virorum Apostolicorum legere est, quibus recensendis brevitatis gratiâ supersedemus. *Emulamini charismata meliora.* 1. Corinth. 17.

V.  
Scutum  
fidei.

V. Quatum armorum genus est Scutum fidei: in quo positæ omnia tela nequissimi ignea extinguere. L. c. Viva fides, quam & tenere, & aliis prædicare ac iuculare debet animarum ze-

lator, ei unice necessaria est; tanquam scutum quo se contra nequissimos Cacodæmones tueatur. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Vult enim S. Paulus, ut rectè notat Hieronymus, nos in omni tentatione & opere, gestare fidei clypeum, eoque veniente Diaboli sagittas & suggestiones excipere, & recundere; ne phantasia prævas cupiditates suggerat, & ad concupiscendas, concupiscantiam & appetitum accendat & inflammet: atque ita animam vulneret. *Anima enim, docet Origenes, quoties peccat, statim vulneratur.* Hom. 8. in Num.

VI. Ultimum denique armorum genus est, *Gladus spiritus.* In omnibus sumentes scutum fidei, & gladum spiritus, quod est verbum Dei. Hoc gladio Christus devicit ac jugulavit demoneum, tentantem & oppugnantem. Hoc gladio usi sunt Sancti omnes; ut de S. Paula memorat Hieronymus in ejus epitaphio. Si quando procerbum fuisse inimicus; & usque ad verborum jurgia profiliisset: illud psalterium decantabat: *Cum confisteret adversum me peccator, obmutui & filii à terra.* Gladus quoque spiritus est abnegatio & mortificatio continua, omnibus operariis in vinea Domini, maxima necessaria, eorumque officio immo seca: nulla enim vitæ ratio, aut majores corporis labores annexos habet, aut austeriorem carnis macerationem requirit, quam Apostolica: & è contrario, quies delicia, & commotio corporis ita huic functioni repugnant, ut ejus finem profus evocant & pellunt. Hac de causa de-



deceptor noster, primum omnium illis inculcavit, abnegationem sui: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Luca c. 9. Mei affectu nihil carni blandum, nihil corpori jucundum, nihil sensibus suave, sed arduos potius labores, incommoda, arumnas, molestias, corporisque afflictationes expectent; ita omni amore proprio excluso, purius saluti & perfectioni propriae & alienae vacabunt. Semper igitur gladium spiritus stringant, sensibus grata amputent, corporis comoda rescindant; ut veluti vitis, inutilibus pampinis resectis purgata, fructus copiosiores proferant.

Quare haec est imago & *πρωμία* militis Christiani seu athletae Apostolici à capite ad talos armati; solidas ejus virtutes, quibus pollere debeat, ad vivum representans: *Induite ergo vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Assumite praedicta sena armorum genera. 1. *Lorica* est justitia, id est opera justa & sancta, & in primis patientia fortis & solida, quae nullos labores refugiat, nulla ardua aut pericula reformidet, nec mortem ipsam pro Christo & Evangelio subire detrectet. 2. *Galea* est spes salutis, quae tanquam galea caput munit, omnia sua ad fidem suam ulti-

um, Deum, ejusque fruitionem dirigit, praeter illo omnia terrena abjiciat ac despiciat, pro illo omnia ardua generoso pectore aggredi non dubitet.

3. In praeparationem Evangelii pedes *calceis* munit; ut in profunda humilitate radicatus, nullas in opere Domini contumelias, nullas contradictiones & contemptus renuat; sed per infamiam & bonam famam, per sarcasmos & laudes, per vituperium & gloriam, animarum saluti invigilet.

4. *Cingulum* militare seu Baltheus, veritate, fidelitate, castitate, & charitate Dei & proximi pectus cingat & stringat arte adeo, ut nec fames, nec sitis, nec persecutio, nec gladius, à charitate eum separare valeat. 5. *Scutum fidei*, in quo omnia nequissimi tela ignea extinguat. 6. Et *Gladium spiritus*, quo Daemonis insultus reprimat, & mortificationis ense omnia superflua, omni carni & corpori comoda & jucunda resciet. Quibus armis & virtutibus solidis, si strenue usi fuerimus, & contra hostes, dimicaverimus: in fine vitae, coronam justitiae nobis à justo Judice repositam ac aservatam reportabimus.



V v

RE-